

non solum *diligenti trutina perpendere elaboravi rationes* quas doctores classici tradunt, sed etiam plures doctos recentiores consulere non neglexi: *adeo ut aliquando, in recto iudicio de aliqua quæstione faciendo, multos dies consumpserim...* Pro viribus sum conatus semper rationem auctoritati præponere; et, ubi ratio me convicit, non renui auctoribus plurimis contraire... Ast, non obstante hoc diuturno per plurimos annos studio, tot in quæstionibus, licet magni momenti, ipse tam aperte hallucinatus est, ut non paucas sententias tamquam vere probabiles, imo et probabiliores, aut etiam tenendis, propugnaverit, quæ reapse ne solidum quidem habent fundamentum, sive rationis, sive auctoritatis. Docuit ergo S. Alphonsus plures opiniones quibus nulla inest vera probabilitas, quasque proin nullus vir prudens tuto amplecti potest.

At vero (ut alia interim taceamus) magna nos premit difficultas. Hæcine est ergo doctrina moralis, quam tanti facit universa Ecclesia, quam ipsa Sedes Apostolica tuto teneri posse declaravit, cujusque auctorem ipsa dignum iudicavit qui Doctoribus Ecclesiæ adscriberetur?

Verum et alia patiens, lector benigne, excipiat. Testante enim cl. professore, S. Alphonsus nonnullas tradit opiniones SINGULARES, IMPRUDENTES, ABSURDAS, RATIONI NON CONSONAS.

## S. ALPHONSUS.

1. Dicunt probabiliter Viva, Mazzotta, Roncaglia, cum aliis, non esse obligationem *omne superfluum* (statui) pauperibus elargiri... Cum *communio*ri censent, satisfacere probabiliter divites erogando in pauperes communes quinquagesimam partem suorum reddituum...; sed non in eadem proportione, si divitiæ multum excedant (cfr. infra, p. 161, a 3).

2. An liceat famulo deferre munera meretrici ratione formulatus? Verius Concina putat hoc esse intrinsece malum; quia revera munera *per se turpem amorem fovent* (p. 173).

3. An liceat vendere ornatus puellæ abusuræ, si illa ab aliis æque emeret? Hoc non admittendum, juxta dicta num. 47, nisi venditor alioquin notabile patiatur incommodum (p. 180).

4. Cardenas, cui adhæret Croix, censet non excusari a mortali qui per mensem actum charitatis differt; hancque sententiam omnino ego suadendam puto (145).

## P. BALLERINI.

1. Quidam, uti Roncaglia, Mazzotta, etc., apud S. Alphonsum, hanc mensuram sic exprimunt, quasi pauperibus eroganda sit pars quinquagesima annuorum reddituum; quæ regula, dum non distinguit superflua non superfluis, plane sonat quid absurdum (cfr. infra, p. 162).

2. S. Alphonsus pro ea (sententia) neminem allegat, præter Concina, cujus ratio ab omnibus rejicitur (p. 173).

3. Doctrina hisce verbis concepta prorsus singularis est, neque præsilium habet ex iis quæ S. Alphonsus disputat num. 47... Communis doctrina (scilicet, opposita) sic a Croix exponitur (p. 180).

4. Quæ dicit Croix, non possunt ita intelligi quasi absurdissime et contra prima principia concludat necessitatem obligationes strictiores sine ulla ratione imponendi. Asserta Cardenas plane nullius sunt roboris (p. 146).

## S. ALPHONSUS.

5. An detur parvitas materiæ in delectatione sensibili, sive naturali, nempe, si quis delectetur de contactu manus fæminæ prout de contactu rei lenis, puta, rosæ, panni serici, et similis? Prima sententia affirmat... Secunda negat cum Cajetano, Diana, et aliis apud Salmanticenses... Et hanc puto omnino tenendam... (p. 284).

6. Docet S. Alphonsus, cum certo defecerit propositum explicitum, repetendum esse confessionem: quia pœnitens qui gravem culpam et certam perpetravit, tenetur de ea confessionem explere non tantum probabiliter, sed etiam certe validam (p. 458).

7. An qui in occasione necessaria, etiam adhibitis remediis, semper eodem modo relabatur, possit absolvi, nisi prius occasionem deserat?... Sententia verior, quam tuentur Roncaglia, Viva cum Suarezio, Navarro et Rinaldo, Mazzotta, qui vocat communem..., et alii cum Croix, qui vocat veram, tenet hunc non posse absolvi, nisi occasionem deserat, cum jactura adhuc vitæ, si opus sit, quando nulla emendatio nec probabilis spes emendationis appareat... Secus vero dicendum, si hujusmodi pœnitens afferat extraordinaria signa doloris... (p. 603.)

8. An frangat sigillum confessarius, qui dicit religiosum ex tali conventu sibi confessum esse grave peccatum? Verius affirmant... Non vero (ut rationabiliter ait Concina) si tantum diceret se audiisse peccatum religiosi cujusdam Ordinis...; nisi (recte limitat) religio illa esset arctioris observantiæ (p. 625).

9. Tertia sententia communis, quam sequimur, et tenent Sanchez, Palaus... Salmanticenses cum Suarez..., docet quod peccator recidivus, rediens cum eodem habitu pravo, non potest absolvi, nisi afferat extraordinaria signa suæ dispositionis.—Prima pars est contra primam sententiam dicentem quod

## P. BALLERINI.

5. Mirum sane videbitur quod S. Alphonsus quæstionem instituat: «An detur parvitas materiæ in delectatione sensibili sive naturali;» quodque addat, tenendam esse sententiam negantem, advocans suffragium plurium auctorum, quos a Salmanticensibus allegatos dicit; qui autem auctores prorsus abs re allegantur (p. 287, 288).

6. Ast hæc aperte repugnant doctrinæ quam alibi ipsi tradit... Quod S. Alphonsus ad singularem illam conclusionem deflexerit, duplex videtur causa extitisse: nam primo quidem (fuit) deceptus a Croix... (p. 459, 467, art. 8.)

7. Judice autem cl. Ballerinio, hæc doctrina Patris La Croix, Soc. Jesu, quam S. Alphonsus veriolem, et Mazzotta communem dicit, non est nisi «hypothesis vana, absurda, absona, chimærica; et semper verum erit istam Croixii opinionem nec rationi consonam esse, nec prudenter ad praxim deduci posse; quinimo id unice imprudens confessarius consequetur, ut certam occasionem præbeat plura adhuc patrandi peccata... Adi Cardin. de Lugo, et nullius momenti ea apparebunt quæ S. Alphonsus ex vana Croixii hypothesei objecit» (p. 605, 606).

8. Ægre sane videbitur admittenda opinio (Concinæ) quam multo profecto laxiorem de detrahente cuiquam ordini religioso ex notitia confessionis S. Alphonsus amplexus est... Quæ quidem, non modo sunt contra omnium theologorum sententiam, et eorum quoque qui laxius circa hoc opinari visi sunt, sed iis rationibus fulciuntur quas nemo facile admittet (p. 631).

9. S. Alphonsus multos quidem affert auctores, nec dubitat sententiam hanc suam appellare communem. At enim... horum doctorum sententia... toto cælo ab ista thesi distat... Hinc nonnisi oculorum aut memorie lapsui tribuendum videtur quod S. Alphonsus eas citationes sumpserit

S. ALPHONSUS.

recidivi debent absolvi semper ac ad Sacramentum accedunt... Ratio est, quia... frequens ille relapsus signum præbet, vel saltem prudentem dat suspicionem quod sua pœnitentia non sit vera; qui enim firme proponit (*bene ait Lugo*), rem sibi moraliter possibilem, non ita facile sui propositi obliviscitur... *Secunda vero pars est contra secundam sententiam (Merbesi, Fuenini et Genetti)*, quæ, cum intolerabili rigore, numquam absolvi posse consuetudinarium, nisi per longam experientiam constet de ipsius emendatione. Ratio, quia relapsus, tametsi præbeat aliquam suspicionem, non tamen certum exhibent signum indispositionis (p. 649, seqq.)

10. Certum est et commune apud omnes, quod possit confessarius differre absolutionem pœnitenti, etiam disposito, et etiam sine ejus consensu, semper ac prudenter judicet dilationem esse utilem ejus emendationi. Ita Salmanticenses, Lugo..., et alii passim, contra paucos.—Ratio, quia pœnitens, quamvis habeat jus ad absolutionem ratione confessionis peractæ, non tamen habet jus ut statim absolvatur; confessarius enim, cui non solum iudicis, sed etiam medici competit munus, bene potest, imo, meo iudicio, tenetur differre absolutionem, quando iudicat tale remedium esse necessario utile salutis sui pœnitentis (p. 752).

» Judice itaque cl. Ballerinio, S. Doctor nonnullas tenet opiniones non modo nullo, præter fallaces allegationes, solido fundamento innixas, verum et imprudentes, singulares, rationi, non consonas, absurdas.—At, si hæc ita se haberent, longe a vero aberrassent totius fere orbis sacrorum Antistites alique viri conspicui, qui in suis litteris supplicibus S. Alphonsi doctrinam moralem tot tantisque laudibus extollunt; sed nec minus a vero aberrarent scholæ catholicæ, quæ Sanctum hunc virum ceu ducem et magistrum plena fiducia sequuntur ac venerantur.—Quomodo autem cl. professoris asserta cum Sedis Apostolicæ declarationibus componi queant, vix intelligi mus. Ipsa enim iteratis vicibus solemniter declaravit doctrinam S. Alphonsi ab omni censura esse immunem; eandem inoffenso prorsus pede percurri posse; omnes

ex Salmanticensibus. S. Alphonsus, juxta theorias juvenin. et similium, negat ejusmodi pœnitentem posse absolvi, utpote qui censeri debet indispositus; secus vero doctores quotquot vel ipse vel Salmanticenses allegant. Hinc constat, præmissam S. Alphonsi opinionem... contra doctores communem dici posse..., et rationem (pro ea adductam) vitio logico non carere.—Itaque jam valet id quod instar axiomatis est penes omnes theologos: Pœnitenti credendum esse et pro se et contra se: secus funditus subvertetur æconomia, qua, teste S. Thoma cum universis theologis, tota regitur hujus Sacramenti administratio (p. 658, 690, 692, 723).

10. Hujus praxis vix ullum vestigium in scriptis antiquiorum theologorum apparet; et recentiores communiter absolutionis dilationem insinuant... ut mere utilem, et ex mero consilio, et solum aliquando adhibendam.—Quidam pauci contenderunt confessarium non modo posse absolutionem differre, sed ad id teneri. Verum isti aut æquivocatione... laborant, aut certe contra communem sententiam id affirmant; et quod dilatio sit unquam medium necessarium, hoc hypothesim nimis inverisimilem redolet. Demum, frequentissima experientia suadet, hanc viam... minus idoneam existere, ac prorsus parum prodesse; idque confirmat ratio (p. 756, 761, 766).

S. Doctoris sententias a quovis teneri, et in praxim deduci posse, quin momenta rationesve perpendat, quibus variæ ejusdem Sancti nituntur opiniones; imo S. Alphonsi doctrinam in omnibus teneri et publice tradi posse non obstante juramento præstito doctrinas cujusdam universitatis, quæ probabiliorismum et probabilistarum sententias sequitur, pro viribus tuendi et asserendi. Ipsa demum Sancta Sedes, suffragante episcopatu catholico, doctrinam S. Doctoris eminentem declaravit, solemni oraculo pronuntians præclarum hunc virum, in re præsertim morali, obscura dilucidasse, dubia declarasse: cum inter implexas theologorum sive laxiores sive rigidiores sententias tutam straverit viam per quam Christi fidelium animarum moderatores inoffenso pede incedere possent.—Sed quonam pacto hæc enuntiare potuisset S. Apostolica, si S. Alphonsus plures tradit opiniones omni qualicumque probabilitate destitutas, singulares, imprudentes, rationi non consonas, et absurdas? Idcirco aut dicendum S. Sedem in hoc iudicio ferendo errasse, quod esset temerarium; aut hujusmodi impugnationes prorsus falsæ reputandæ sunt (prout infra videbimus), et ipsi Apostolicæ Sedi non minus quam S. Alphonso injuriosæ.

» Hæc prudens quisque perpendat, et, seposita omni præjudicata opinione, judicet num hujusmodi oppugnationes probandæ sint.—Cæterum, cl. Ballerinius ipse persensit suam scribendi rationem non omnibus probari. In altera enim editione romana Compendii Patris Gury, anno 1869 evulgata, pag. 625, quæstionem, in qua S. Doctorem acriter oppugnavit, hisce verbis concludit: «Et hæc quidem ita scripseram, ut eorum quæ in præcedenti hujus Compendii editione hoc loco dixeram, quæque a quibusdam minus probari audieram, aliquam rationem redderem, atque adeo ostenderem neque gratis neque pruritu, ut quidam dicitabant, contradicendi S. Alphonso me ab ejusdem sententia tunc discessisse...» Libenter admittimus cl. professorem, non aliqua passione motum, toties S. Doctori contradixisse; attamen, pro æquo suo iudicio, diffiteri nequit universam rationem a se initam intra fines sobriæ sanæque critices minime contineri; nec mirari debet, si, post perlectas ipsius adnotationes, viri non pauci doctrina ac dignitate præstantes in hanc conclusionem devenerint, easdem haud benevolam erga S. Doctorem animum præ se ferre.

» Ad ipsam vero cl. Ballerinii doctrinam quod attinet, nobis sane nec competit de illa decretorie judicare, nec ullatenus nobis in animo est eandem qualicumque censura theologica notare. Id tamen tacere non possumus, sententias cl. professoris nimia universim benignitate et indulgentia imbutas nobis videri; quas inter speciatim recensemus ipsius systema morale, quæstiones ad cooperationem spectantes, complures alias de sacramento Pœnitentiæ, illas præsertim in quibus solvendis habenda est ratio propositionum a Summis Pontificibus damnatarum, maxime vero quæstiones de absolvendis occasionariis aut recidivis.—Cæterum, benignum lectorem ad singulas hujusmodi quæstiones in hocce opere discussas fidenter remittimus. Hoc unum adjicere liceat, promotorem Fidei in causa beatificationis S. Alphonso nimiam objecisse benignitatem; contra vero cl. Ballerinius eandem doctrinam nimii generatim rigoris arguere non dubitat.

## VI

» Et hæc quidem omnia eum in finem exposuimus, non modo ut sua historice et veritati jura serventur (quemadmodum ipse cl. professor passim testatur), sed ut etiam ipsius S. Alphonsi jura integra consistent. Pro certo

enim habendum est tum ex innumeris testimoniis in causa Doctoratus relatis, tum maxime ex solemnibus oraculo Sedis Apostolicæ, S. Doctorem nostrum divinitus Ecclesiæ datum fuisse *ad religionis morumque tutelam*.

»Qua de re, gravissimum audire iudicium ex præfata causa desumptum. Quid Alphonsus in re præsertim morali præstiterit, theologus jam supra laudatus, in voto, jubente Sacra Rituum Congregatione, exarato, graviter sic enuntiat: «...Duæ maxime pestes sæculo XVIII grassabantur, *laxistarum*, nempe, qui, nimium benignitati indulgentes, humanæ libertati frena relaxabant, et *jansenistarum*, qui, nimiam profitentes austeritatem, suave Christi jugum ceu intolerabile humanæ naturæ pondus repræsentabant. *Ecclesiæ suæ mature adstitit Deus, morum doctrinæ vindicem in Alphonso constituens*, qui opus suum magnum *Theologiæ Moralis* in lucem edidit. Apparitio hujus libri jansenistas, sicut fulgur, conterruit, iisdemque lethalem ictum iriflavit; laxitas porro theologos ad rectam doctrinæ methodum viamque revocavit.—Quot vero in morali theologia occurrant obscura et dubia declaranda, nodique dissolvendi, in comperto cuique est qui implexam hanc et salebrosam disciplinam vel a limine salutarit. Quanta in principiorum ad singulos casus applicatione difficultas, quanta in moralitate alicujus actionis determinanda ambiguitas, quanta demum in gravi vel levi alicujus culpæ reatu assignando sententiarum varietas! «Jam vero Alphonsus in singulorum tractatum quæstionibus, inter oppositas, quas refert, sententias, »veluti iudex considens, rationum momenta in trutina suspendit; quo magis »prependeant, declarat; et quænam opinio probabilior, quæ verior, quæ »tutior quæ denique in praxi sequenda, exquisito criteriorum delectu determinat.»—At nolim quis putet id unum dumtaxat Alphonsum præstitisse, nimirum, dissidentes sententias collegisse, et peracute æstimasse; cum præterea certum sit solida totius moralis disciplinæ fundamenta per eum fuisse constituta. Omnes enim norunt, fundamentalem in theologia morali esse quæstionem de natura et usu *probabilitatis*; ex ea enim plurimum dubiorum casuumque resolutio pendet. Jam vero hujusmodi quæstio ante Alphonsum adeo erat implexa, ut, probabilistæ et probabilioristæ inter se contententes, vel in laxismi, vel in rigorismi scopulum facillime impingerent. «Quod autem »in hac quæstione nunc extrema vitentur, uni Alphonso debetur, qui aureum illud *Equiprobabilismi* systema invexit, quod constanter retinuit, et in »moralis disciplina explicanda adoptavit...» Post hæc autem, quid amplius in Alphonso desideratur? *Moralia ejus documenta ubique in Ecclesia recepta*, divinas et ecclesiasticas leges explanant, justum ab injusto in praxi secernunt, animarum regimini prospiciunt, peccantibus dignos pœnitentiæ fructus ostendunt, proficiëntibus tutum perfectionis iter indigunt, omnibus denique æternæ salutis portum patefaciunt. Ergo per hæc Ecclesia illustratur, virtutibus moribusque informatur, et libenter exequitur quæ Dei sunt.»

«Post amplissimum hoc testimonium, nihil nobis superest quam ut, verba egregii defensoris causæ usurpantes, pro majori Dei gloria atque animarum salute pia hæc vota faciamus: «Maneant, igitur, opera moralia Sancti Antistitis tamquam prænobile neque perituro ecclesiasticæ scientiæ monumentum, ex quo, ceu fonte uberrimo nedum animarum moderatores, sed »et jurisconsulti, canonistæ, ethicæ disciplinæ præceptores, affatim hauriant, ut solida scientia imbuantur!»

Sin ánimo de disminuir en lo más mínimo el talento y erudición del P. Ballerini, he creído conveniente transcribir algunos de los textos de este docto jesuita sobre materias morales, para que se tenga alguna idea de la

acrimonia de su carácter en defender no pocas opiniones demasiado benignas; y que, hablando con toda franqueza, algunas me parecen laxas. Después de haber escrito el Doctor San Ligorio, y especialmente después que los Papas y las Sagradas Congregaciones habían aprobado y colmado de alabanzas su doctrina, parece que ningún escritor moderno se atrevía á defender aquel probabilismo ancho que, especialmente en el siglo XVIII y principios del XIX, había obligado á los Papas á condenar tantas proposiciones escandalosas. Como dije ya en otro lugar, hace unos veinte años un compañero prudente y docto me dijo que el laxismo comenzaba á asomar la cabeza: en el día es un Prelado eminente, y por cierto nada rigorista, porque es un discípulo de San Ligorio.

Lo que especialmente me duele es que se quieran resucitar dos opiniones que estaban olvidadas ya: 1.<sup>a</sup> La defensa del probabilismo ancho, que San Ligorio tan altamente reprueba en el tomo I de su *Teología Moral*, en la disertación que tiene el título: *Dissertatio de usu moderato opinionis probabilis*, que se halla en el número 55 y 56 en una de las ediciones, pues en la edición de Madrid de 1829 faltan dos números. 2.<sup>a</sup> La facilidad en absolver á los consuetudinarios reincidentes, que, después de caer muchísimas veces y volver á recaer del mismo modo, sin dar señales de enmienda, ni traer á la confesión señal alguna extraordinaria de dolor, se dice que siempre se les debe absolver, con sólo que afirmen que tienen verdadero dolor y que dan palabra de enmendarse. Así vemos en los pueblos pecadores que por espacio de muchos años viven públicamente amancebados, en enemistades gravemente pecaminosas, borrachos, blasfemos habituales, etc., que confiesan y comulgan todos los años en el cumplimiento de Iglesia, porque encuentran confesores que los absuelvan sin ninguna dificultad, sin exigir de ellos ninguna enmienda, contentándose con que el penitentediga que le pesa de haber ofendido á Dios, y que se enmendará: á esta clase de confesores los llama San Ligorio traidores (*traditores*), porque fomentan al pecador en sus culpas, le ponen almohadillas para que duerma tranquilo en el pecado. Lo más sensible es que quieren apoyar su conducta en la doctrina de Santo Tomás, abusando de aquellas palabras del Angélico Maestro, cuando dice: «Pœnitenti dicenti pro se et contra se credendum est» (in 4 *Sent.*, dist. 17, q. 3, art. 3, quæstiuncula 5.<sup>a</sup> ad 2.<sup>um</sup>): lo mismo dice en el Opúsculo 12, q. 6; y, por último, en el Quodlibeto 1, art. 12, in corpore, et ad 2.<sup>um</sup>; pero Santo Tomás habla tan sólo de las cosas *de hecho*, como si oyó ó no hurtó; como se explicó latamente en el apéndice al núm. 2480.